

7. Sekundärliteratur

Festschrift zur zweihundertjährigen Jubelfeier der Franckeschen Stiftungen und der Lateinischen Hauptschule am 30. Juni und 1. Juli 1898.

Kollegium der Lateinischen Hauptschule

Halle a. S., 1898

De chori cantico extremo Electrae Sophocleae

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

De chori cantico extremo Electrae Sophocleae

scripsit

Eugenius Sparig.

In commentariolo de Kaibeli editione Electrae Sophocleae Th. Pluessius illum interpretem secutus in tribus canticis chori habitum animi non simplicem atque unum esse sed affectus eius in contraria abire efficit ob eamque rem poetam gravissime reprehendit.¹⁾ In libello autem cui Electra inscribitur quamquam ex alia ratiocinatione aliud se collegisse contendit, tamen idem Sophocli opprobrio vertit.²⁾ Atqui Pluessius, si quidem stasimum primum respicimus (vv. 472—503), de quo ille in Fleckeiseni annalibus 1883 longe aliter disputavit,³⁾ ipse secum videtur pugnare. Altero autem stasimo (vv. 1058—1097) Electram a choro ut genuinam patris filiam laudari non mirum est, etiamsi poeta in disputatione sororum quae antecedit chorum utique a Chrysothemidis partibus stantem fecerit: ut enim chorus iudicio et ratione usus Electram solam patri ulciscendo neutiquam parem esse arbitretur necesse est, ita non est abnuendum eum admiratione magnitudinis animi Electrae commotum summis laudibus virginem suo iure efferre posse. De tertio vero stasimo (vv. 1384—1397) Pluessius plane falso mihi videtur sentire, cum chorum non tam Clytaemnestrae quam Oresti Furiarum poenam metuere putet. Disputavit autem de hoc cantico cum in libello modo commemorato⁴⁾ tum in Fleckeiseni annalibus 1884.⁵⁾ Sed antequam ad ea quae Pluessius de sententiarum nexu in chori cantico a poeta adhibito disseruit diiudicanda aggredior, verba cantici proponere et de singulis breviter explicare mihi liceat.⁶⁾

ἴδε' ὅποι προνέμεται

1385. τὸ δυσέριστον αἶμα φυσῶν Ἀρης.

βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι

μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων

ἄφνιτοι κύνες,

ὥστ' οὐ μακρὰν ἔτ' ἀμμενεῖ

1390. τοῦ μὲν φρενῶν ὄνειρον αἰωρούμενον.

1) Th. Plüss, Die Dramaturgie des Sophokles und Kaibels Elektra in Fleckeiseni annalibus 1898 vol. 155. p. 726.

2) l. c. p. 729. — Sophocles' Electra. Eine Auslegung von Dr. Theodor Plüss. Leipzig (Teubner) 1891. p. 130 sq.

3) Ein Chorlied der Sophocleischen Elektra v. 472 ff., vol. 127. pp. 625—630.

4) p. 99. 114. 129.

5) Das letzte Chorlied der Sophocleischen Elektra. vol. 129. pp. 353—359.

6) Ad significandos codices cett. iisdem quibus Michaelis in Jahni Electrae editione III. notis usus sum. Praeter Laurentianum et Parisinum, quos codices ad verba poetae emendanda solos valere Kaibelius demonstravit, nonnunquam cum illis libris mss. falsa tradi videbantur aliorum codicum scripturam afferre non dubitavi.

παράγεται γὰρ ἐνέρων
 δολιόπους ἀρωγὸς εἶσω στέγας,
 ἀρχαιοπλοῦτα πατρὸς εἰς ἐδώλια,
 νεακόνητον αἶμα χειροῖν ἔχων.
 1395. ὁ Μαίας δὲ παῖς
 Ἑρμῆς σφ' ἄγει δόλον σκότῳ
 κρύψας πρὸς αὐτὸ τέρμα, κούκ' ἀμμένει.

1384. ὅποι προνέμεται] In libris mss. legitur ὅπου quod Kaibelius¹⁾ defendit, a quo longe dissideo: nam ὅπου mea quidem sententia hic sensu caret; neque enim *ubi* ultores Agamemnonis progrediantur quaeritur, quaeritur *quo*, quem ad finem progrediantur. Quare Schneidewinus emendatione usus facillima ὅποι scripsit quod, cum aptissimum praebeat sensum, recipere non dubito. — προνέμεται vim habet progrediendi atque imaginem a pecoribus inter pascendum progredientibus ductam esse apparet. Ex simili ratione in Iliade XI, 67 sqq. ii qui hostes caedunt cum messoribus inter metendum progredientibus comparantur:

οἱ δ', ὥστ' ἀμνητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν
 ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν
 πυρῶν ἢ κριθέων· τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει·
 ὥς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ' ἀλλήλοισι θορόντες
 δήρουν.

1385. τὸ δυσέριστον αἶμα φυσῶν Ἄρης] Quae verba Pluessius aptissime mihi videtur explicare „sanguinem spirans misero (δυσ-) duorum adversariorum, duarum partium inter se infestarum certamine profusum“ (cf. schol.: *δυσέριστον δὲ τὸ δι' ἔριν γινόμενον κακόν*), id quod ad scelera per tot Pelopidarum genera usque ad id tempus commissa pertinere manifestum est. Minus belle Nauckius *δυσέριστον* pro *δύσμαχον*, *ἄμαχον* dictum esse ratus αἶμα = *φόνον* „schwer zu bekämpfenden Mord schnaubend“ interpretatur. Optime igitur se habet *δυσέριστον* „das in unglückseligem Streit vergossene“, ut supervacanea sit coniectura *δυσάρεστον*, quam M. Schmidtus et Herwerdenus proposuerunt. Cum autem τὸ αἶμα chorus dicit, sanguinem illum sibi haud ignotum esse aptissime significat. Itaque non est quod cum Michaeli, quem Kaibelius sequitur, ὁ ... Ἄρης scribamus: nam quod ille ad defendendam hanc lectionem profert manu scholiastae (Σ) ὁ scriptum esse, id ab eo ipso in dubium vocatur neque quidquam contra codicum congruentem scripturam τὸ valet. Cf. ea quae Wecklinius in censura editionis Kaibeli ad hunc locum annotat.²⁾ Item Blaydesi coniectura ὁ *δυσέριστος* reicienda est. — αἶμα φυσῶν similiter dictum atque μένος πνεῖν (v. 610) vel πῦρ, Ἄρη, ἔριν πνεῖν. — Ἄρης] Quod Ἄρης hic commemoratur non est mirum, cum omnis caedes quasi sacrum sit Marti factum (Schneidewinus ad v. 1422 *φοινία δὲ χεῖρ στάζει θυηλῆς Ἀρεος*). Cf. schol.: οἷον ὁ Ἄρης συναγελάζεται αὐτοῖς φυσῶν αἶμα καὶ φόνον. Pind. Pyth. 11, 36: σὺν Ἀρει (Ὀρέστῃ) πέφνεν τε ματέρα θῆνέ τ' Αἰγισθον ἐν φοναῖς. Similiter apud Aeschylum (Agam. 1510 sqq.) de Marte dicitur βιάζεται δ' ὁμοσπόροις ἐπιρροαῖσιν αἱμάτων μέλας Ἄρης, ὅποι δὲ καὶ προβαίνων πάχνα κουροβόρῳ παρέξει.

1386. δωμάτων ὑπόστεγοι pro ὑπὸ δωμάτων στέγας similiter dictum est atque in Ai. v. 796. ἐκείνον εἶργειν Τεῦκρος ἐξεφίεται σκηνῆς ὑπαυλον. — ὑπόστεγοι hic *προληπτικῶς* adhibitum est; nam tum demum cum domum intrarunt ὑπόστεγοι sunt. Cf. Trach. 376: τίν' εἰσδέδεγμαι πημονὴν ὑπόστεγον λαθραῖον; — δωμάτων quasi genetivus explicationis ex abundanti additum videtur esse.

1) Sophocles' Electra. Leipzig (Teubner) 1896 p. 283.

2) Berl. Phil. Wochenschr. 1897 Nr. 43.

1387. *μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων*] insectatrices atque vindices malorum facinorum. vox *μετάδρομοι* pro appellatione adhibita cum genetivo coniungitur. Ad *κακῶν πανουργημάτων* scholiasta notat: τὸ δε κακῶν οὐχ ὥς κατηγοροῦσά φησιν, ἐναντίον γὰρ τῷ ἦξει τοῦ χοροῦ, ἀλλ' ὅτι τὰ τοιαῦτα ἔργα οὐχ ἡδέα τοῖς ἀνθρώποις. Clarius autem atque distinctius Kaibeli illud: „Soph. charakterisiert die That der Klyt. als eine Hinterlist, aber, da für *πανουργήματα* sich keine Erinyen bemühen, als eine schändliche, verbrecherische Hinterlist, die zum Tode des Opfers geführt hat“.

1388. *ἄφυκτοι κύνες*] Schol. ἦτοι εἰς τὸν Ὀρέστην ἀποτείνεται ἐν τῷ ἄφυκτοι κύνες, ἢ ἐπὶ τῶν Ἐρινύων. εἰσῆλθον εἰς τὸν οἶκον αἱ Ἐρινύες, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν. Cuius scholii prior pars inepta est: neque enim dubitari potest quin *ἄφυκτοι κύνες* ad solas Furias referendum sit. Atque *Ἐρινύες κύνες* appellantur, quia instar canum homines scelestos persequuntur. Cf. Aesch. Choëph. 1054: *σαφῶς γὰρ αἶδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες*. Eum. 246 sq. *τετραυματισμένον γὰρ ὥς κύων νεβρὸν πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν*. Apte ad hunc locum ea quoque afferri possunt quae Eustathius monet ad Hom. IX, 454 p. 763: *λέγονται . . . καὶ μετάδρομοι κακῶν ἔργων . . . καὶ ἄφυκτοι δὲ κύνες διὰ τὸ οἶον ἰχνηλατεῖν, εἴτα καὶ δάκνειν τοὺς κακούργους*, et ad IX, 502 p. 768: *ἰστέον δὲ καὶ ὅτι Ἐριννύες μὲν „λωβητῆρες ὑστεροφθόροι“ παρὰ Σοφοκλεῖ (Ant. 1074), αἱ δ' αὐταὶ καὶ μετάδρομοι κακῶν κύνες καὶ ὁμοίαν ἔννοιαν*.

1389. *ἄμμενεῖ*] Codices *ἀμμένει*, Σ *ἀμμενεῖ*, quod editores receperunt. Ac sine dubio futurum tempus hic melius est quam praesens: eo facilius autem *ἄμμενεῖ* scribere possumus, quod in eiusmodi quaestionibus ad accentum, spiritum cett. pertinentibus codicum auctoritas omnino exigua est.

1390. *τοῦμὸν φρενῶν ὄνειρον*] *φρενῶν ὄνειρον* pro una appellatione dictum. Similiter in v. 785 sq.: *τοῦμὸν ψυχῆς αἷμα*. Verba illa ad stasimum primum (472 sqq.) spectant, ubi chorus ultionem Agamemnonis iam prope abesse alacri animo vatis instar praesagivit:

εἰ μὴ ἐγὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ
γνώμας λειπομένα σοφᾶς,
εἶσιν ἅ πρόμαντις
δίκαι, δίκαια φερόμενα χεροῖν κράτη·
μέτεισιν, ὦ τέκνον, οὐ μακροῦ χρόνου κτλ. —

αἰωρούμενον] *αἰωρέω* idem valet atque *αἰρώ*, *αἴρω*; passivum autem vim habet „in suspenso esse“. Ceterum schol. v. 1389 sq. recte intellegit cum dicit: *οὐ περὶ τοῦ ὄνειρου τῆς Κλυταιμνήστρας φησί, τοῦτο γὰρ βίαιον, ἀλλὰ τοῦτό φησιν· ἃ κατ' ἐμαυτὴν ὄνειροπόλουν, οὐκ εἰς μακρὰν ἔσται μετέωρα, ἀλλ' εὐδὲως τελεσθήσεται*.

1391 sq. Schol.: *παράγεται γὰρ ἐνέρων δολιόπους· ἢ Ἐρινὺς ἀφόβως χωροῦσα, ἢ δαίμων τις ἀπλῶς βοηθὸς νεκρῶν*. ἢ ἐπὶ τοῦ Ὀρέστου· *παρέρχεται, φησίν, ἔσω στέγης ὁ Ὀρέστης*. At manifestum est ad solum Orestem haec verba pertinere, id quod luce clarius fit, si respicis verba quae sequuntur *πατρὸς εἰς ἐδῶλια*. Quod autem scholiasta *ἔσω στέγης* scripsit, inde non est colligendum traditam scripturam *εἴσω στέγας* esse corruptam (Blaydesius *εἴσω στέγης* proposuit): nam Sophoclis verba a scholiasta minus accurate afferri patet. Iam vero dixerit quispiam mirum esse quod, cum antea *βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι* scriptum sit, quasi Orestes domum nondum intraverit *παράγεται εἴσω στέγας* legatur. Qua in re nihil offensionis inesse, cum de Pluessii sententia verba faciemus, infra demonstrabitur. — *ἐνέρων* non ad deos inferos sed ad Agamemnonem pertinet, cuius ulciscendi causa Orestes Mycenae pervenit. Cf. verba illa, quibus Electra Chrysothemem adhortata, ut Orestis reditum a dis precetur, finem orationis facit (461 sqq.): *ἀδελφή, σοί δ' ὑπουργήσον τάδε ἐμοί τ' ἀρωγά, τῷ τε φιλιᾷ βροτῶν πάντων, ἐν Αἰδου κειμένῳ κοινῷ πατρί*. Praeterea cum nostro loco

editores conferunt O. T. 126, ubi de occiso Laio dicitur: *Λαίου δ' ὀλωλότες οὐδείς ἀρωγὸς ἐν κακοῖς ἐγίγνετο*. — *δολιόπους* Orestes vocatur, quod ab Apolline iussus *ἄσκειον αὐτὸν ἄσπιδων τε καὶ στρατοῦ δόλοισι κλέψαι χεῖρὸς ἐνδίκους σφαγὰς* dolo perfecit, ut non agnitus domum regiam intraret.

1393. *ἀρχαιοπλουτα*] ,antiqua opulencia praedita' simul et divitias et antiquitatem gentis Pelopidarum significat. Cf. Aesch. Agam. 1043: *ἀρχαιοπλούτων δεσποτῶν πολλὴ χάρις*. Saepius autem fieri videmus ut divitiae et antiquitas generis iuxta commemorentur: nam *εὐγενεῖς εἶναι δοκοῦσιν οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος* (Aristot. Pol. 5, 1 p. 1301 b 3). Velut apud Euripidem (fr. 663 [cf. fr. 1027, 2]) legitur *πλούτῳ καὶ γένει γανυρομένους*, vel apud Herodotum IX, 93: *πλούτῳ τε καὶ γένει δοκιμώτατοι*.

ἐδῶλια] P praebet *ἐδράσματα*, in L manu scholiastae ad *ἐδῶλια* adscriptum est γρ. *ἐδράσματα*. Atque mea quidem sententia *ἐδράσματα* nihil est nisi glossema in textum immisum errore librariorum, qui haud scio an vocem desiderarint, qua notio habitationis tutae ac solidae periculo vacuae ad hunc locum optime quadrans clarius exprimeretur. Eandem autem notionem inesse in *ἐδῶλια* ex Aesch. Sept. 455 facile intellegitur, ubi de intima et remotissima parte aedium, in qua virgines versari solent, mentio fit *πωλικῶν 2' ἐδωλίων ὑπερκόπῳ δορί ποτ' ἐκλαπάξει*. Cf. Choëph. 71: *Σιγόντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἐδωλίων ἄκος*.

1394. *νεακόνητον αἷμα*] in omnibus codicibus traditum: nam quod Lascaris in lem-mate scholii praebet *νεοκόνητον*, quam lectionem Hermannus recepit tali explicatione usus ,recens profuso sanguine manus conspersas habens', id sine dubio lapsu librarii ortum est et a Kvičala¹⁾ aptissime ita refutatur: „Die Form *νεοκόνητος* (von dem vorausgesetzten *κένω*, woher *καίνω*, *κέκονα*, *ἐκάνον* stammen sollen) ist unmöglich . . . Von *γναν* wäre möglich eine Bildung *νεόκαντος* (vgl. *θεόφαντος* von *γφάν*) oder *νεοκανής* (vgl. *νεοφανής*), ja man könnte auch *νεόκονος* (nach Analogie von *νεόκτονος*) zugeben, aber *νεοκόνητος* ist eine unmögliche, jeder Analogie vollständig entbehrende Bildung, ebenso unmöglich wie etwa *νεοκτόνητος* oder *νεοφόνητος*“. — Iam in eo quispiam offenderit quod α in *νεακόνητον* e Graecorum illa consuetudine vocalia in vocabulorum commissuris producendi hic produci exspectemus (cf. Ai. 820 *νεηκονής*), cum metrum breve α postulet. Solent autem Graeci in figuris compositis nominum et verborum articularem quam Lobeckius vocat syllabam (i. e. syllabam alterius vocabuli fine alterius initio constantem), si plures breves syllabae et antecedunt et subsequuntur, *ὁμοτόνου* evitandi causa producere, de qua re Lobeckius ad Phryn. p. 633 sqq. uberius disputavit. At saepius ,articularem' syllabam *breve* retineri invenimus, velut in *δέορτος* (Aesch. Prom. 765), *νέορτος* (O. C. 1507) *Κλεάριστος* (Theogn. 512), *Κλεαρίστη* (Theocr. 2, 74): itaque *νεακόνητον* quoque tolerari posse certe Kvičalae cum Pluessio Nauckio aliis viris doctis concedendum est. — Ne *αἷμα* quidem difficultatem habet, quamquam plane absurda ea sunt, quae veteres grammatici interpretandi causa proposuerunt: *τὸ εἶφος τὸ ἥκονημένον εἰς αἷμα καὶ φόνον* Schol.; *Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἠλέκτρᾳ τὴν μάχαιραν αἷμά φησιν* Bekkeri anecd. p. 356; *αἷμα ἢ μάχαιρα παρὰ Σοφοκλεῖ* Etym. magn. p. 35. Nam ut alia omittamus, omnino ineptum est arbitrari Orestem ab ipso poeta „*δολιόπους*“ appellatum destructo ense domum intrasse, praesertim si recordamur illum ad id tempus cum urna versari, qua suum ipsius cinerem contineri Clytaemnestrae dolose narraturus sit. Atque falsam illam interpretationem ad errorem voce *νεακόνητον* illatum referendum esse Kvičala recte monet: Sed minus bene mea quidem sententia idem *αἷμα* pro *φόνον* dictum esse censet ita, ut *φόνος νεακόνητος* vocetur, propterea quod telum *νεακόνητον* sit. Potius *αἷμα* hic propria significatione adhibitum esse cum Pluessio arbitror ita ratiocinato: „Welches Blut kann in den Händen des Orestes sein, noch che er Klytämnestras und Ägisthus' Blut genommen hat? Und welches Blut kann in seinen Händen zur Waffe werden, die frisch geschliffen dazu dient, das

1) Beiträge zur Kritik und Erklärung des Sophokles. Sitzungsberichte der Wiener Akademie 1864.

Blut der Klytämnestra und des Ägisthus zu nehmen? Logischer Weise nur das alte, früher genommene Blut des Atridengeschlechtes, das Blut des Vaters selber. Dann ist die Metapher noch ebenso verständig, wie wenn eben vorher dieses nämliche Blut zum Atem des Ungetüms Ares geworden ist, oder wenn nachher mit dem Blute der Klytämnestra das Blut Agamemnons wieder rückwärts strömt und vom gemordeten Agamemnon selber der Mörderin Klytämnestra wieder abgenommen wird (v. 1419 sq.)¹⁴. Itaque cum tradita scriptura bene se habere videatur, neque quod Kaibelius proposuit νεοκρόμιστον neque reliquas coniecturas ad hunc locum pertinentes, quae tot sunt, vix ut possint enumerari, opus est respicere. Immo ea ipsa re, quod in hoc loco emendando tantopere viri docti digrediuntur, vel maxime commendatur, ut codicum scripturam retineamus. — χειροῖν ἔχων] χειροῖν L, χεροῖν PL²; at hic plenior forma χειροῖν propter metrum opus est. ἔχων hoc loco ut saepius eodem sensu atque παρέχειν vel φέρειν dicitur. Cf. v. 1360: ἔργ' ἔχων ἥδιστ' ἐμοί. Il. XI, 271: Εἰλεῖθυσται . . . πυρρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.

1396. Ἑρμῆς σφ' ἄγει] Sic IGVindobonensis: quae in ceteris codicibus leguntur propter metrum corrupta habenda sunt: ἐ/άγει superscripto ut videtur ἐξ L (quae praeterea adscripta sunt legi nequeunt), ἐπάγει PL², ἐπεισάγει E. Quibus lectionibus receptis versus antistrophicus aut una aut duabus syllabis longior quam strophicus est. Iam quaeritur, utrum lectio illa Ἑρμῆς σφ' ἄγει, quae metro optime accommodata est, genuina habenda sit necne. Sunt autem, qui Ἑρμῆς, quod in omnibus codicibus legitur, nonnisi glossema esse errore aliquo in textum immissum contendunt, quam sententiam ita corroborant, ut dicant primum tam circumscriptam esse appellationem ὁ Μαίας δὲ παῖς, ut omnino nihil opus sit nomine Ἑρμῆς (Kvičala), deinde vero scholiastam ad ὁ Μαίας δὲ παῖς adnotasse Ἑρμῆς, quod eum certe facturum non fuisse, si Ἑρμῆς scriptum legisset. At eo, quod scholiasta Ἑρμῆς adscripsit omnino nihil comprobari apertum est: Quod autem Mercurius duplici significatione et Ἑρμῆς et ὁ Μαίας παῖς vocatur, id sententiae magis augendae causa ab ipso poeta consulto factum esse cur non arbitremur causam non video. Cf. Eur. Rhes. 216 sq.: ἀλλ' εὖ σ' ὁ Μαίας παῖς ἐκείσε καὶ πάλιν πέμψειεν Ἑρμῆς, ὅς γε φηλητῶν ἄναξ. Itaque ad reiciendum nomen Ἑρμῆς ansam satis idoneam non exstare manifestum est. Iam vero si Ἑρμῆς retinemus, nihil nobis propter metrum relinquitur, nisi ut cum IGVindobonensi ἄγει scribendum esse censeamus. Quamquam satis magnam difficultatem fieri concedendum est, si quomodo lectionum illa variatio ἐξάγει, ἐπάγει, ἐπεισάγει orta sit quaeramus, cuius rei explicationem satis bonam inveniri posse equidem fere omnem spem abiecerim. Fortasse cogitari potest grammaticum quendam, cui simplex ἄγει propter sequens πρὸς αὐτὸ τέρμα parum grave videretur esse, in margine ἐπεξάγει adscripsisse, unde alios ἐπάγει vel ἐξάγει alios in -εξ- offendentes ἐπεισάγει fecisse cum aliqua veri specie quispiam existimet. Sed ne hoc quidem pro certo dixerim. — σφέ forma ionica apud poetas valde usitata a tragicis non solum sicut ab Homero pro numero plurali αὐτούς (αὐτάς) verum etiam ut nostro loco pro singulari adhibetur. Cf. Aesch. Sept. 469. 615, Pers. 198, Eum. 234. 610, Soph. Phil. 200.

δόλον σιότῳ κρύψας] sc. dolum Orestis, quem ἄσκειον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγὰς (v. 36 sq.) ab Apolline iussum esse supra vidimus. Iure autem hic Mercurius commemoratur, quippe quem cum θεὸν ἡγεμόνιον (πομπάιον, ὄδιον) tum facinorum dolo exsequendorum (Ἑρμῆς δόλιος) fautorem atque adiutorem esse inter omnes constat (callidum quidquid placuit . . . condere furto' Hor. carm. I, 10). Cf. Aesch. Choeph. 812 sqq.: ἐνλλάβοι δ' ἐνδίκως παῖς ὁ Μαίας, ἐπεὶ φορώτατος πράξιν οὐρίσαι θέλων. Eur. Med. 759: ἀλλὰ σ' ὁ Μαίας πομπάιος ἄναξ πελάσειε δόμοις. Rhes. 216 sq.: ἀλλ' εὖ σ' ὁ Μαίας παῖς ἐκείσε καὶ πάλιν πέμψειεν Ἑρμῆς, ὅς γε φηλητῶν ἄναξ. Soph. Phil. 133: Ἑρμῆς δ' ὁ πέμπων δόλιος ἡγήσασθαιτο νῶν. Atque ut in Iliade Mercurius διάκτορος Priamum medios per hostes tutum ad Achillis tentorium perducit, ita hoc loco Orestem πρὸς αὐτὸ τὸ τέρμα prosequi dicitur.

Reliquum est, ut Nauckii coniecturam ad transponendum ἀμμενεῖ (ἀμμένει) pertinentem strictim attingamus. Dicit autem ille non sibi dubium esse, quin ut antistropha ita stropham quoque verbo ἀμμένει a poeta conclusam esse iudicandum sit, quam ob rem hoc modo verba transponit:

1389 sq. τοῦ μὲν φρενῶν δ' ὄνειρον αἰωρούμενον
οὐ μακρὰν ἐτ' ἀμμένει.

1396 sq. κρύψας δόλον σκότῳ πρὸς αὐτὸ δὴ σφ' ἄγει
τέρμα, κοῦκέτ' ἀμμένει.

At quod in utraque strophā verbum ἀμμένειν invenitur, inde non necessario illud efficitur, ut ἀμμένει in extrema strophā acque atque in antistrophā a poeta positum esse censeamus oporteat. Iam vero illam Nauckii mutationem tam violentam esse apparet, ut omni veri specie carere videatur: Itaque illius coniectura, quippe qua etiam metrum commutetur, reiecta cur traditum verborum ordinem in dubium vocandum esse arbitremur utique nihil esse existimo.

Quoniam de singulis verbis disputavimus, ad contextum cantici summatim exponendum aggrediamur. Atque ita rem optime instituimus, ut Pluessii argumentationem secuti quid de huius cantici ratione iudicandum sit in universum contemplemur. Cum autem, si unumquidque eorum, quae Pluessius aut recte aut non recte protulit, singulatim tractare velimus, spatium nimis longum hanc disputationem occupaturam esse apertum sit, summas tantummodo res attingere nobis liceat.

Atque disserendi initium inde nobis faciendum est, ut quomodo verba προνέμεται (1384) — βεβᾶσιν (1386) — παράγεται (1391) — ἄγει (1396) inter se referenda sint quaeramus. Recte autem Pluessius προνέμεται ... ἄγει ita intellegit, ut dicat Martem simul cum Oreste domum penetrare et quasi μεταφορικῶς pro ultoribus commemorari. Ceterum iniuria in eo offendit quod, cum antea Electra Apollinem advocaverit, non Apollinem sed Martem chorus aspicere sibi videatur: nam cum eo ipso, quod ultores domum intrant, cruoris et caedis cogitatio in spectantium animis excitetur necesse sit, Martem, quippe cui omnem caedem tamquam curae esse supra ostenderimus, suo iure hic vocari statuendum est. Idem traditum ὅπου, quod sensu carere antea docuimus, non apte retinet, cum bene se habeat quod Schneidewinus emendavit ὅποι (= quem ad finem), quo recepto sententia nostra aptissime hoc significatur: sescentorum, quibus Pelopidarum gens obruta sit, scelerum finem (sc. Clytaemnestrae caedem Oresti perficiendam) proxime iam instare. Sequens vero verbum βεβᾶσιν ita interpretatur: „(Der Chor) sieht, offenbar in visionärer Erregung, Gestalten in ausschreitender Stellung (βεβᾶσιν); das Ausschreiten ist in diesem Augenblicke ein vollendetes, als ruhender Zustand sich zeigendes, ein solches ist Kampfstellung, sei es angreifend, sei es verteidigend“. Unde ille concludit Furias non simul cum Marte (Oreste) sed antea domum intrasse itaque Clytaemnestrae caedem ulturas Martem invadentem excipere, quam sententiam ea re confirmari censet, quod in antistrophā verba παράγεται — ἄγει praesenti tempore adhibita legantur, quibus ultores domum nondum intrasse perspicue demonstratur. Quod vide quantopere a vero abhorreat. Nam primum quidem hoc manifestum est Orestem et Pyladem statim Electrae precibus (1376—1383) finitis regiam invadere, id quod etiam scholio ad v. 1384 tradito comprobatur τοῦ Ὀρέστου ἐλθεῖντος ὁ χορὸς ταῦτά φησιν. Quid? si cum verbis ἴδεσθ' ὅποι προνέμεται vel iam antea intrandi initium factum est, ecquis, praesertim cum ultores iam inter Electrae preces sub ipsa porticu aedium simulacra deorum adorandi causa versati sint, tam lente atque segniter Orestem, qui ceteroquin summa strenuitate agere soleat, prorepere cogitaverit, ut chori cantico exacto introitum nondum perfecerit? Certe hoc nemo

contendat. Quod autem in verbo *βεβᾶσιν* pugnandi notionem inesse Pluessius dicit, de suo id eum addere apparet. Quae praeterea ille profert, Furias hic tales appellari et describi, quales alioquin Orestem matricidam persecutae describerentur atque appellarentur, ne iis quidem quidquam effici nemo non intellegit. Neque enim, quod Orestis per Furias vexatio inter omnes notissima fuit, nos decet concludere hic de illius insectatione verba fieri, praesertim cum poeta adulescentem conscientiae angore omnino non fecerit excruciar. Potius verbis *βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι* nihil nisi hoc significari contendo: introitum ultorum, qui sive inter extrema Electrae sive inter prima chori verba coeptus est, iam esse perfectum. Ut autem in priore sententia praesens tempus *προνέμεται* utique necessarium est, propterea quod, etiamsi ultores domum intrarint, tamen facinus nondum peractum est, ita in sententia *βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι* intrandi momentum, ut est grave atque magnum, *βεβᾶσιν* perfecto *ἄσυνδέτως* posito aptissime notatur. Atque iniuria Pluessius sententiam suam ea re sustentari opinatur, quod verbis quae in antistropa leguntur *παράγεται* — *ἄγει* praesenti tempore adhibitis introitum nondum esse perfectum ostendi putat. Nam ipse introitus non-nisi punctum temporis explet, introductio, etiamsi limen illi transgressi sunt, nondum est peracta: neque enim usque ad limen solum sed in mediam domum, *ἀρχαίοπλουτα πατρός εἰς ἐδῶλια* ultores a dis introducuntur, ut praesens tempus *παράγεται* (*ἄγει*) cum antecedente perfecto *βεβᾶσιν* minime pugnare videatur. Adde, quod chorus ultores, ubi primum intrarunt, iam non aspectu sentit sed mentis, ut ita dicam, oculis intra domum prosequitur: iam praesens tempus *παράγεται* (*ἄγει*) vel optime se habere concedes. Itaque ordine verborum *προνέμεται* — *βεβᾶσιν* — *παράγεται* — *ἄγει* Pluessii sententiam non posse probari luce clarius est. Immo ut Martis ita etiam Furiarum commemoratione nihil nisi Orestis introitum significari nostro iure contendere nobis integrum est, id quod infra etiam accuratius demonstrabitur.

Haud minus perperam Pluessius verba *ὥστ' οὐ μακρὰν ἐτ' ἀμμενεῖ τοῦμὸν φρενῶν ὄνειρον αἰωρούμενον* interpretatur, cum dicit illis verbis chori hoc esse pronuntiatum: haesitationem atque dubitationem iam non diu permanere, iam in discrimen evadere, utrum vindicta esset digna, quam desiderarent an metu atque misericordia prosequerentur. Recte quidem verba illa ad stasimum primum refert, de quo non dico iniuria at certe satis mire notat: „Dort wechselte und schwankte die Erscheinung (der Rache) in Gestalt, Licht und Farbe“, sed plane ineptum illud est: „Und auch seither hat Urteil und Gefühl des Chores der Rachethat gegenüber geschwankt“. Sane quidem animum chori, id quod naturae humanae vel maxime accomodatum est, ulciscendi facinore varie affici nemo negaverit. Velut quod tum ipsum, cum pavidum Clytaemnestrae clamorem audit, angore penitus perterritus

ἤκουσ' ἀνήκουστα δύστανος, ὥστε φριξάι.

proclamat (1407), nihil possumus mirari. At minime hoc pertinet ad existimationem, qua de Orestis facinore ille utitur: nam paulo post (v. 1422 sq.) aperte dicit:

*φοινῖα δὲ χεῖρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω ψέγειν.*

Atque chori de ultione iudicium nunquam non sibi constare quo facilius perspiciamus, in univ-
ersum, quae ab illo per totam tragoediam de hac re pronuntiata sint, paucis repetamus, praesertim cum ita etiam illud, quod Pluessius addit „und jetzt eben erst sieht er (der Chor) deutlich, daß derselbe (der Traum) durch Muttermord sich verwirklichen und die Verwirklichung für Orestes furchtbare Folgen haben wird“ optime refutari possit. A primo autem hoc tenendum est chorum utique ab Electrae partibus stare, quamvis eius animi fortitudinem et constantiam (similiter atque Chrysothemis) non adaequare videatur, quae res eo potissimum illustratur, quod illam saepius adhortatur ut inimicorum, dum ultor redeat, potentiae prudenter cedat. Sed Agamemnonis mortem vindicatum iri sese quoque vehementer sperare

plus semel ille enuntiat. Velut Electram spem in Orestis reditu positam indies magis evanescere conquestam inde a v. 173 monet:

Δάρσει μοι, Δάρσει, τέκνον·
 ἔτι μέγας οὐρανῷ
 Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει·
 ᾧ τὸν ὑπεραλγῇ χόλον νέμουςα
 μήθ' οἷς ἐχθαίρεις ὑπεράχθο μῆτ' ἐπιλάθου.
 χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός.
 οὔτε γὰρ ὁ τὰν Κρίσαν
 βούνομον ἔχων ἀκτάν
 παῖς Ἀγαμεμνονίδας ἀπερίτροπος
 οὔθ' ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσει.

Atque virginis verba omnem hominum pudorem, nisi Clytaemnestra atque Aegisthus Agamemnonis interfecti poenas solvant, plane prolapsurum esse exclamantis (v. 244—250):

εἰ γὰρ ὁ μὲν θανὼν γὰρ τε καὶ οὐδὲν ὦν
 κείσεται τάλας,
 οἷ δὲ μὴ πάλιν
 δώσουσ' ἀντιφόνους δίκας,
 ἔρροι τ' ἂν αἰδῶς
 ἀπάντων τ' εὐσέβεια θνατῶν.

dilucide ille comprobatur, cum dicit (v. 251 sqq.):

ἐγὼ μὲν, ᾧ παῖ, καὶ τὸ σὸν σπεύδουσ' ἄμα
 καὶ τοῦμὸν αὐτῆς ἤλθον· εἰ δὲ μὴ καλῶς
 λέγω, σὺ νῦν σοὶ γὰρ ἐψόμεσθ' ἄμα.

Gravissimum vero contra Pluessium argumentum ex chori verbis v. 464 sq. pronuntiatis afferri potest: Modo Chrysothemis Clytaemnestram somnio perterritam sacra ad patris sepulcrum ferenda sibi tradidisse nuntiavit, cum Electra sororem, ut neglecto matris mandato ultoris potius reditum Orestis a dis precetur, vehementer cohortatur. Atque siquando chori de expiandi caedem Agamemnonis ratione existimatio haesitasset, illo loco id apertum fieret necesse fuit. At reiectis Clytaemnestrae piaculis Electrae sententiam simpliciter ille laudat Chrysothemem ita allocutus:

πρὸς εὐσέβειαν ἢ κόρη λέγει· σὺ δὲ
 εἰ σωφρονήσεις, ᾧ φίλη, δράσεις τάδε.

Et in stasimo quod sequitur primo (v. 472 sqq.) magnam sibi spem esse aperit fore, ut patris ultio brevi efficiatur:

εἰ μὴ ἐγὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ
 γνώμας λειπομένα σοφᾶς,
 εἶδιν ἅ πρόμαντις
 δίκαι, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη·
 μέτεισιν, ᾧ τέκνον, οὐ μακροῦ χρόνου.
 ὑπεστί μοι θράσος,
 ἀδυπνόων κλύουσιν
 ἀρτίως ὀνειράτων· κτλ.

Postea autem Electram, quae falsa paedagogi de morte Orestis oratione audita summa desperatione profligata iacet, similiter atque v. 173 sqq. admonet, ut deorum auxilio confidat (v. 823 sqq.):

ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διὸς ἦ
 ποῦ φαέσων ἄλιος, εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες
 κρύπτουσιν ἔκηλοι;

Atque ultionem caede et cruore perfectum iri chorum ab initio exspectare cum multis aliis locis tum illo comprobatur, quo exemplum sumit ab Amphiarao coniugis culpa interfecto et apud inferos summa cum potestate regnante (v. 836 sqq.):

οἶδα γάρ ἄνακτ' Ἀμφιάρεων
 χρυσοδέτοις ἔριεσι κρυφθέντα γυναῖκων
 καὶ νῦν ὑπὸ γαίης — —
 πᾶμψυχος ἀνάσσει·

quod exemplum certe ob eam potissimum causam affert, ut, quemadmodum illius perfida uxor Eriphyle a filio merita morte multata sit, sic etiam Clytaemnestram occisi coniugis iustas poenas daturam esse Electrae spem confirmet. Quocum bene congruit, quod et in altero stasimo (1058—1097), ut virgini, quam egregium pietatis exemplar laudibus effert, aliquando inimicis superiorem esse liceat, graviter optat (cf. 1090 sqq.):

ζῴης μοι κασύπερθεν
 χειρὶ καὶ πλούτῳ τοσόνδ' ἐχθρῶν, ὅσον
 νῦν ὑπόχειρ ναίεις·

et postea Oreste recognito laetitiae illius vel maxime interest (v. 1230 sq.):

ὀρῶμεν, ὦ παῖ, κατὰ συμφοραῖσί μοι
 γεγησὸς ἔρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο.

Postquam autem Orestes facinus peregit, palam chorum profiteri οὐδ' ἔχω φέγειν supra commemoravimus. Nec non extremis chori verbis

ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὥς πολλὰ παθὼν
 δι' ἐλευθερίας μόλις ἐξῆλθες
 τῇ νῦν ὁρμῇ τελεωθέν

laudatio aliqua ultionis contineri videtur. Quibus ex locis modo allatis cum perspicuum sit eodem de Orestis facinore iudicio chorum nunquam non esse usum, iam nemo fere dubitaverit, quin sententia βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι κτλ. sicut verba quae antecedunt ἴδεσ' ὅποι προνέμεται τὸ δυσέριστον αἶμα φουσῶν Ἄρης ad solum Orestis introitum, ad poenam Clytaemnestrae non Oresti instantem referenda sint verbisque ὥστ' οὐ μακρὰν ἐτ' ἄμμενεῖ τοῦμόν φρενῶν ὄνειρον αἰωρούμενον nihil exprimatur nisi hoc: non diutius vaticinium chori in suspenso fore sed ad effectum brevi perductum iri, id quod etiam scholio probatur: ἃ κατ' ἐμαυτὴν ὠνειροπόλουν, οὐκ εἰς μακρὰν ἔσται μετέωρα, ἀλλ' εὐθέως τελεσθήσεται. Sic chori verba primo stasimo optime respondent, in quo ipsas Furias vindices Agamemnonis venturas esse ille praesagivit:

ἦξει καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἅ
 δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις
 χαλκίπους ἐρινύς·

(ac re vera quidem dolo et quasi ex insidiis Orestes, quippe qui urnam ad fallendum paratam secum ferat, ad Clytaemnestram aggreditur), nec minus apte verba illa ad Electrae preces quadrant quae leguntur inde a v. 110:

ὦ δῶμ' Αἰδου καὶ Περσεφόνης
 ὦ χθονὶ Ἑρμῇ καὶ πότνι Ἄρά,
 σεμναί τε θεῶν παῖδες ἐρινύες,
 αἵ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὀράσ',

αἱ τοῖς εὐνάς ὑποκλεπτομένους,
 ἔλθ' ἄρῃξάτε, τίσασθε πατρός
 φόνον ἡμετέρου, καὶ μοι τὸν ἐμὸν
 πέμψατ' ἀδελφόν.

Quibus expositis ea, quae Pluessius colligit, chorum cum liberos matrem interficientes tum deos damnare, quippe qui per Apollinem illis caedem dolosam atque clandestinam diligenter mandaverint, ultro dilabuntur et refutantur. Quid? chorum deos vituperare num putemus, qui antea Electram admonuerit, ne quid insolentius contra illos proferat (μηδὲν μέγ' αὐσῆς v. 830), qui omnino nunquam non impletus fuerit fiducia deorum (cf. v. 173 sqq. 472 sqq. 823 sqq. cett.)? Quod certe nemo vere dixerit. Neque vero minus absurdum est opinari liberos matrem merita morte multantes condemnari a choro, quem Electrae pietatem erga parentem egregie laudare supra viderimus.

Iam omnia, quae Pluessius ad antistropham explicandam profert, inania esse facile intellegitur, ut accuratius de singulis agere nihil opus sit. Atque cum in universum de antistrophae ratione dubitari nequeat, pauca addere satis habeamus. Orestem a dis non ab Electra introduci, id quod verbis quae sequuntur Ἑρμῆς σφ' ἄγει probatur, recte Pluessius annotat. Sed παράγεται hic cum ,transversum agendi' significatione adhibitum esse falso idem censet. Sane quidem saepenumero hanc notionem παράγειν habere concedimus; at hic maxime ,furtim introducendi' vis (ut apud Herod. V, 20: ἄνδρας λειογενείους, τῇ τῶν γυναικῶν ἐσθῆτι σκευάσας καὶ ἐγχειρίδια δοὺς παρῆγε ἔσω, παράγων δὲ τούτους ἔλεγε κτλ.) verbo illi videtur subesse. Tota autem sententia παράγεται γὰρ ἐνέρων δολιόπους ἀρωγὸς εἶσω στέγας κτλ. sententiae quae antecedit ὥστ' οὐ μακρὰν ἔτ' ἀμμενεῖ τοῦμὸν φρενῶν ὄνειρον ἀλωρούμενον explicationem quandam contineri apparet: ,Iam ea quae animo praesagivi non diutius erunt suspensa: nam ultores a dis introducuntur'. Atque belle a poeta inter se opposita sunt ἀρχαίοπλουτα ἐδώλια et νεακόνητον αἷμα, quamquam Pluessii illud: „logisch ist dieser Gegensatz zwischen den Gemächern und dem Blut als Waffe nicht eben korrekt“ non est abnuendum. Etiam haec Pluessii verba: „Zu den sicheren Gemächern, in denen der Vater wohnte, von altererbtem Reichtum umgeben, steht im Widerspruch die Art, wie der Sohn sich in das sichere Haus und alte Erbe des Vaters listig einschleichen oder schleichend sich einführen lassen mufs“ apta videntur esse. At verbis παράγεται . . . δολιόπους ἀρωγὸς . . . ἀρχαίοπλουτα πατρός εἰς ἐδώλια, νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων Orestis vituperationem a choro enuntiari iniuria ille contendit. Quid? si quaerimus, quis auctor fuerit, quod exsulis instar Orestes dolo domum intraret, nonne ad solam Clytaemnestram omnem culpam referendam esse apparet, quippe quae in tutissimo et remotissimo domus angulo coniugem turpiter interfecerit ipsumque filium insidiis affecerit, vix ut mortem ille effugeret? Quodsi verbis illis reprehensionis quidquam contineri arbitremur, ad Clytaemnestram non ad Orestem id pertinere manifestum est. Quae Pluessius addit: „Dabei erinnert man sich, dafs dem jungen Helden diese Heimlichkeit eigentlich zuwider war und er sich dafür nachdrücklich auf das Gebot des Apollo berief (32 ff. 59 ff.)“, ne haec quidem ex omni parte recte se habent. Sane Orestes ἄσκειον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδύτους σφαγὰς ab Apolline se iussum esse plane dicit. At hoc Apollinis iussum fastidio illi fuisse Pluessius iniuria de suo addit. Immo Orestes mea quidem sententia utique par esse putat ut Agamemnon per dolum in intimis aedibus necatus sit ita interfectores eius plane eadem ratione interire. Cuius rei argumentum vel maximum inde afferri potest, quod Aegistho exclamanti, palam pro domo ille se feriret, v. 1495 ita respondet:

μὴ τάσσε· χῶρει δ' ἐνθάπερ κατέκτανες
 πατέρα τὸν ἐμόν, ὥς ἂν ἐν ταύτῳ θάνῃς.

In universum autem hoc pro certo affirmare possumus ea potissimum re, quod et Orestes et chorus ipsos deos vindictae auctores esse identidem praedicant, matris caedem leniri et, quoad

eius fieri potest, crudelitatis specie exui: quae sententia eo confirmatur, quod antea (199 sq.) chorus ad Clytaemnestrae facinus quasi excusandum sibi dubium esse prae se tulit, an deum Agamemnonis interfectioni interfuisse iudicandum sit:

εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν
ἦν ὃ ταῦτα πράσσων.

Quid? si illo loco atrocissimum scelus tamquam excusandi causa deum ille commemoravit, quanto minus hic deos iustissimum facinus adiuvantes a choro reprehendi nos decet existimare! Quae cum ita sint, etiam Pluessii illud de dolo a Mercurio occulto plane ad irritum cadunt. Quod autem ille dicit deos Orestem, quippe quem Furiis vexandum tradant, decipere eundemque per Mercurium de illa re celandum curare, ea eiusmodi sunt, quae silentio praeterire possimus. Hoc unum ad explicanda verba δόλον σκοτῶ κρύψας breviter addamus: Argumentatur Pluessius: „Welchen Trug? Die List oder den Trug des Orestes mit der Aschenurne braucht kein Gott mehr mit Finsternis zu verhüllen, nachdem bis jetzt das Schwierigste, die Einführung des Boten mit der Erzählung vom Tode des Orestes so glücklich gelungen ist“. At non video cur non ad totam rationem dolosam, qua Orestes (quem ipsum doli consilium inisse e versibus 38 sqq. perspicuum est) ad ulciscendum patrem utitur, verba illa referenda esse censeamus. Atque quod Mercurius illius dolum tenebris obscurare dicitur, aptissimam sententiam id habere supra, cum de singulis actum est, ostendimus. Verba autem quae sequuntur πρὸς αὐτὸ τέρμα, κούνητ' ἄμμεναι nihil nisi hoc exprimunt Orestem a Mercurio et tuto et statim usque ad finem perducere itaque optime respondent strophae sententiae extremae, qua chorus brevi ea quae praesagivisset perfectum iri proclamaverat.

Haec habui de chori cantico quae proferrem. Atque Pluessii interpretandi rationem, si cum ipsius cantici continuationem tum totius tragoediae contextum respicimus, in universum non esse iustam satis comprobasse mihi videor.